

VERSION LATINE IMPROVISÉE 2
CATULLE, *Poésies (Carmina)*, 64, v. 132-166
Plaintes d'Ariane

La sœur de Phèdre, Ariane, qui vient d'être abandonnée par Thésée sur l'île de Naxos, alors qu'elle l'a aidé à tuer le Minotaure dans le labyrinthe en Crète, invective vainement le héros qui s'est déjà éloigné à bord de son navire.

- « Sicine me patriis auetam, perfide, ab aris,
perfide, deserto liquisti in litore, Theseu ?
Sicine discedens neglecto numine diuum,
135 immemor, a ! deuota domum periuria portas ?
Nullane res potuit crudelis flectere mentis
consilium ? Tibi nulla fuit clementia praesto,
immitte ut nostri uellet miserescere pectus ?
At non haec quondam blanda promissa dedisti
140 uoce mihi, non haec miserae sperare iubebas,
sed conubia laeta, sed optatos hymenaeos,
quae cuncta aerii discerpunt irrita uenti.
Nunc iam nulla uiro iuranti femina credat,
nulla uiri speret sermones esse fideles !
145 Quis dum aliquid cupiens animus praegestit apisci,
nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt ;
sed simul ac cupidae mentis satiata libido est,
dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
Certe ego te in medio uersantem turbine leti
150 eripui, et potius germanum amittere creui
quam tibi fallaci supremo in tempore dessem.
Pro quo dilaceranda feris dabor alitibusque
praeda, neque iniacta tumulabor mortua terra.
Quaenam te genuit sola sub rupe leaena,
155 quod mare conceptum spumantibus expuit undis,
quae Syrtis, quae Scylla rapax, quae uasta Carybdis,
talìa qui reddis pro dulci praemia uita ?
Si tibi non cordi fuerant conubia nostra,
saeua quod horrebas prisci praecepta parentis,
160 at tamen in uestras potuisti ducere sedes,
quae tibi iucundo famularer serua labore,
candida permulcens liquidis uestigia lymphis
purpureaue tuum consternens ueste cubile.
Sed quid ego ignaris nequiquam conquerar auris,
165 externata malo, quae nullis sensibus auctae
nec missas audire queunt nec reddere uoces ?